

Pierij Val. Equus.

D

*Coniugis vento gravis, mirabile dictu,
 Saxa per & scopulos, & depressas conualles
 Diffugiunt, non Eure tuos, non solis ad ortus
 In Boream, Corumq; aut unde nigerrimus Auster
 Nascitur, & pluvio contristat sidere cælum.
 Hic demum hippomanes, vero quod nomine dicunt
 Pastores, lentum distillat ab inguine virus
 Hippomanes, quod saepe mala legere nouerca,
 Miscueruntq; herbas, & non innoxia verba.*

Sed neq; minor est equorum furor, qui zelotypia etiam ita laborant, vt riuales acerrime castigent. Visum enim aiunt in Syria, vbi syluestriū equarum armēta vulgò pascuntur, præire ducem, qui, si iunior aliquis libidinis causa equam inscenderit eam initurus, ita indignetur, vt eum nulla interiecta mora persequatur, donec comprehensum verendis mordicis priuet. In hoc autem animalium genere foemina maribus continentiores sunt. Absyrtus enim ait equam vbi se concepisse nouit, marem vltierus nō admittere. Neq; verò loco hoc prætereūdum, quod & ad hippomanis vim, & ad immodicam equorū impotentiam & subitā in venerē cōcitationē pertinet, venenū illud, quod sæpe malæ, vt dicebamus, legere nouercæ, à furore, in quem agit equos, appellatū, tati esse roboris & efficaciz, vt cū Phormis quidam Mænalius equos duos à Dionysio Argi uo fabrefactos in Olympia dicasset, abdito in eorū altero, vt Elei arbitrabatur, eo viru, vt alij, in liquidum metallum immixto, cōstiterit allectos ita esse equos ad initū sui, vt non nisi flagellis amoueri potuerint. Historiā ponit Pausanias. Varia autem est antiquorū super hippomane viru sententia. Nam Theocritus Hesiodum secutus, plantam esse videtur existimasse, qui *φαρμακωδτρια* dicat:

*Ἰππομανεφ' φυτὸν ἐστὶ περ ἀρκάσι. τὸν δ' ἐπιπᾶσαι
 Καὶ πᾶλοι μαινόνται ἀν' ἀρεὰ, καὶ θοαὶ ἵπποι.*

idq; periti, diligentesq; agnoscunt viri. Alij Theocrito pertinaciter aduersantur, neq; plantam esse hippomanes, neq; tale aliquid in Arcadia nasci asseuerantes: idq; vnum verissimū autumant, quod de caruncula fici instar in pulli fronte recens editi inhærente traditum est à Theophrasto. Agnoscit tamen & Crateuas plantam, eamq; fructum habere fici syluestris instar, solum verò fuscum docet, quemadmodū papauer: quin & spinosum esse, idq; veneficiis amatoriis immixtum mirificè pollere: hinc nonnulli *φυτὸν* illud Theocritianū pro *φύμα*, hoc est, tuberculū, fronti quippe huiusmodi pulli adnatū, interpretantur. Nam & Archilochus *φυτὸν* pro *φύμα* posuit, atq; ita facile de caruncula posse intelligi. Sed enim quod Theocritus ait id apud Arcadas inueniri, nimirū ad plātam referri debet, non enim dicendū, pullos in Arcadia tātū editos, hippomanes in fronte gestare, quod omnibus ferè accidit vbi cunq; locorū genitis. De plātis verò verissimum est, alias alio loco nasci, vel pollere magis hoc quā illo loco prouenientes: sed ambiguitas hæc omnis ex locutionis huius quæ est hippomanes, æqui uoco orta est, eū tria sint vocis huius significata: vnum virus illud, quod equa in libidinem concitata emittere solet è natura: de quo Maro, *Lentum distillat ab inguine virus.* idq; tantus autor, in re seria vero dici nomine hippomanes autumat. Dixerat & Tibullus: *Et quod, vbi indomitus gregibus Venus afflat amores, Hippomanes cupida stilkat ab inguine equa.*

Mani